

Bibliothèque numérique

medic@

Dupré, Guillaume - candidat / Lienard, Claude - président. - An Cholerae morbo frigidae potus ?

1626.

***Paris : Prostant Exemplaria
apud Nicolaum Boisset,
Typographum, in Platea
Malbertina, ad insigne D.
Stephani***

Cote : ms 2322 n°18



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0018

5

18

{ } 18

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPUTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS

Medicorum, Die Iouis XXIX. Ianuarij,

M. CLAVDIO LIENARD,

DOCTORE MEDICO,

MODERATORE.

An Cholera morbo frigida potus?



ENTRICVLVS reliquarum partium nutritiarum longè princeps omni cùm simplici tum composita, & quæ ex humorum vitio prodit, intemperie tentatur; illum vlcus aliquâdo, inflammatio systrophica rarò, rariùs abscessus citra salutis iacturam exercent (eorum qui in ventriculum incidunt abscessuum optimus est qui in sinum eius internum abit) cerebri præterea, iecoris, lienis, vniuersi denique corporis habitus cum eo tantus est consensus, vt illis affectis, hic quoque ferè continuò compatiatur. Nimis multa pituita aut qualitate noxia à cerebro, bilis vitellina, porracea, æruginosa, quæ nonnisi gradu caloris distinguuntur à iecore, humoris fæculenti copia à liene, prauis demum succi à toto corporis ambitu in ventriculum palindrome regurgitant, & transfunduntur.

† iij

VENTRICULO membranoso non minori iure
ac singulis corporis partibus infita est facultas à
natura qua mouetur ad expellendum quod illi faceffit ne-
gotium, siue in eo genitum, siue aliunde cōfluxerit. Hinc
in Cholera morbo vbi summa sunt omnia, facies ab ini-
tio Hippocratica, ingens oris amaror, sitis inextinguibilis,
πικρὰς, ἀσθενεία, ἐξιδρωσις, furarum contractiones, extremo-
rum frigus, syncope, conuulsio (quibus superuenienti-
bus etiam aliquid tentandum) facultatibus ventriculi
non expultrice tantum, sed & retentrice laesis, modò per
superiora, modò per inferiora derepentè & vicibus sæpe
repetitis humoris biliosi, serosi, quinetiam & laudabilis
succus excretio, cui interdum originem dedere nonnulla
alimenta, vt carnes suillæ, allia, cepæ, pepones dulces, &c.
medicamenta quoque mochlica, vt helleborus, scammo-
nium, colocynthis, &c. sæpius verò cùm ventriculi tum
aliorum viscerum *κακοδυσχέρια*, sæpissime eorumdem calida,
sicca intemperies.

AN mulieres cholera tentantur? at viri frequentius
& potentiùs? An pueri senesue? at iuuenes & æta-
te consistentes sæpius multò & securiùs. An vere & hye-
me? at autumnò & æstate viget potissimum cholera, plena
quidem periculi à causis procatarcticis, sed periculosior
ab internis. An morbus acutissimus? at septimo quarto-
ve die ægrum non rarò præcipitat. In tanto symptomate
compescendo aliquid ne audendum? vt periculum in mo-
ra, ita in ventriculo roborando, ne prauos amplius humo-
res recipiat, & in calida sicca eius ac reliquorum viscerum
intemperie corrigenda totius salutis spes collocatur. Ad
ventriculi robur non parum conferent fœtus ex rosis ru-
bris, absinthio, mentha, vtrique hypochondrio adhibiti

7

778

succus de ribes & berberis cum per se, tum ex iusculo car-
nium, panis tostus vino irroratus praesente & non praesen-
te febre. An alkermes confectionis vsus idoneus? ne qui-
dem de hyacintho. An lapidis bezaardici? verum potius
conferuæ buglossi, borraginis cum granatorum succo.

CALIDAE autem & siccae intemperiei tollendae
nonne frigida humida seu potestate, seu actu talia,
lege contrariorum imprimis conducent? quae frigore
concresecunt, calore dissoluuntur, humor in orgasmo à
supernis ad inferas, à dextris ad sinistras, ab anterioribus
ad posteriores partes auertitur: dolenti partem capitis
posteriorem in fronte vena incisa prodest. Spontaneus
vomitùs alui profluuium soluit, quod & lippienti con-
fert, vt biliosae deiectiones superueniente surditate ces-
sant, sic surditas superuenientibus biliosis deiectionibus
soluitur. Hic quidem phlebotomia per epaphæresim ce-
lebrata miros in rem aëri producit effectus, partibus pau-
lùm à viuifico nectare dislitis penèque iam emortuis na-
tuum calorem restituit, bilis ferocientis maximam par-
tem euacuat, necnon motui naturæ, seu euctæ, seu im-
prudens, à corporis scilicet circumferentia ad centrum
humores cum spiritibus deducens fortiter sese opponit.

VERVM omne tollit punctum frigida potus, quod
si medicata, vti Spadensis addideris, præterea ni-
hil. Humore morbosus mitigandus: haustâ vix fri-
gidâ mitigatur. Bilisne quoque uersum ruentis ac fu-
rentis impetus reprimendi? omnium potentissimè re-
primit frigida. Vomitusne sedandus? sedatur continuo
frigida. Humorum & partium incendium confestim
extinguendum, extinguit momento frigida. Viscera

7888
 roboranda? maximum robur à frigida. Estne quis ab
 Orci faucibus cholera correptus eripiendus? non Orphei,
 non Herculis, sed frigida potus auxiliares manus im-
 plorandæ.

Ergo Cholera morbo frigida potus.

Proponebat Lutetiæ GUILLELMVS DV PRE;
 Normanus, A. R. S. H. M. DC. XXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTVRI.

M. Franciscus Mallet.	M. Iacobus Adam.	M. Gabr. Hard. de S. Jacques.
M. Iacobus Iouuin.	M. Claudius de Pois.	M. Michaël de la Vigne.
M. Petrus Sauvage.	M. Petrus le Comte.	M. Iacobus Perreau.

PARISIIS,

Prostant Exemplaria apud NICOLAVM BOISSET, Typographum,
 in Platea Malbertina, ad insigne D. Stephani, 1650.

*cette thèse est la 579^e de la tome IV
 in folio des thèses de la Faculté.*